

Lyskaw dapiferorum et Emerico agasonum nostrorum magistris, ac magistro Konya Comite Poseniensi, alijsque quampluribus Comitatus regni nostri tenentibus et honores.

Originalis membr. in Archivio Regni Croatiae. N. R. A. Fasc. 483. N. 31.

### XXXIX.

Anno 1217.

Andreas II. Hungariae Rex privilegia Ecclesiae Zagrabiensis confirmat, unaque monetam Regis Hungariae intra ambitum possessionum Episcopi et Capituli Zagrabiensis, licet ea nunquam in Regno Slavoniae ab aliquo Hungariae Rege introducta fuerit, extra communem usum ponit.

Andreas Dei gratia Hungarie, Croatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerieque Rex — — — Habito Consilio Magnatum nostrorum, omnia Privilegia predictae Ecclesie (Zagrabiensis) in medio fecimus deduci, & per Cancellarium nostrum Vgolinum de verbo ad verbum coram multitudine perlegi, & cum nihil contradictione dignum poterat inveniri in eisdem, omnia privilegia nostra & predecessorum nostrorum renovando, secundum quod in eisdem singulis continetur, aureo sigillo nostro confirmamus, et etiam auctoritate nostra adjungendo, firmiter statuimus, ut de cetero nullus Banus, sive sit de regali progenie, sive de magistratibus Hungarie, presumat populos predictae ecclesie coram se aliqua occasione in Judicium trahere, aut alicujus rei occasione descendere, aut descensum petere, aut etiam marturinas, seu quamcunque collectam, quocunque nomine nuncupatam exigere, sed potius firmiter injungendo Bano sive Duci pro tempore constituto precipimus, quod decimas Marturinarum omnium, seu omnium collectarum, quocunque nomine episcopo plenarie, & sine contradictione aliqua & dilatione quantum limes episcopalis contendit, persolvat, decimam etiam omnium tributorum forensium, siue decimas proventus portuum quorum sunt, si illi solvere nolluerint, cogendo eos cum gravi Judicio, ut ceteris metus in similibus incutiatur, solvere compellat. Statuimus etiam firmiter, ut Populos Ecclesie, sive sint episcopi, sive Capituli in nullo foro tributum solvere compellantur, nec etiam tributarii vel salinarii regis, causa exercende sue negotiationis contra Episcopi voluntatem, vel Officialium suorum ad aliquod forum episcopi accedere presumant & si inventi fuerint, capti in Carcere quadraginta diebus detineantur, omnes res suas, quas tunc erga se habent, amittentes. Istud specialius adiiciendo statuimus, quod licet nunquam moneta regis in regno banatus sive ducatus facta fuerit ab aliquo rege, tamen